



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLXII. Quid significet particula, de, cum dicitur filius de substantia
patris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

tria creata genita nuncupatur: modus diuinæ generationis nobis insinuat. In generatione enim quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est. In creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus & genitus, ut ex creatione accipiat immutabilitas Patris, & ex generatione unitas naturæ in Patre & Filio. Et sic exponitur intellectus huius Scripturæ ab Hilario lib. de Synodis. Autoritates autem inducæ non loquuntur de Spiritu sancto, sed de spiritu creato: qui quandoque dicitur ventus, quandoque aër, quandoque status hominis, quandoque etiam anima, vel quæcunque substantia inuisibilis.

lib. de Synodis, 2. folio
post lib. princ.

Conclusio Articuli.

CONCLUSIO est, Filius est de substantia Patris. Est autem definita in Conc. Tolet. 3. & 4. & 11, in confessione fidei. Eam tradit Aug. 15. de Trin. cap. 19. & 3. contra Maximinum, cap. 14. & Fulgent. lib. de fide ad Petrum, cap. 2. Magister in 1. d. 5. & Scholastici omnes ibid. Quomodo vero particula de, intelligatur, inter eos non satis certum est, de quo disps. seq. tractabitur.

Conc. Tol. 3.
& 4. & 11.
Aug. 15.
Fulgentius.

DISPUT. CLXII.

Quid significet particula, *De*, cum dicitur Filius de substantia Patris.

Particulam, *de*, non significare principium materiale, contra Henricum & Durandum probatur, cap. 1.

Particula, *de*, in prædicta locutione significat principium consubstantiale, cap. 2.

Formalis terminus processionis est essentia diuina, totus vero terminus est persona, cap. 3.

CAPVT I.

Particulam, *de*, non significare principium materiale contra Henricum & Durandum probatur.

Henricus.

HENRICUS in Summa, art. 5. q. 3. vt, refertur a Scotto, & a Capreolo locis infra allegandis, putant particulam, *de*, cum dicimus, Filius est de substantia Patris, significare principium quasi materiale seclusa omni imperfectione materiæ, sicut dicimus, cultellum esse de ferro. Concordat Durandus in 1. d. 5. q. 2. imo videtur conuenire S. Tho. ead. dist. q. 2. art. 1. vt fatetur Capr. Caietanus tamen hic Doctorem S. aliter interpretatur, quia solum dicitur, in essentia diuina esse aliquam proprietatem materiæ, id quod e. 3. examinabitur: at non dicitur, particulam, *de*, principium materiale significare.

Durandus.
D. Thomas.
Caiet.
Capreol.

Prima ratio
Durandi.

Probat Durand. primo, quia illud quod præcedit aliquo modo generationem alicuius, & permanet in re genita, si de illo dicatur res esse, aut fieri, se habet vt materia illius: essentia autem diuina præcedit generationem Filij secundum rationem, & manet in Filio, & de illa dicitur Filius esse; ergo se habet vt principium materiale. Secundo, quoties aliquid constituitur ex duobus, alterum se habet vt materia, alterum vt forma, quia alterum altero determinatur: determinari autem proprium est materiæ, sicut determinari proprium est formæ: atqui persona Filij ex duobus constituitur, nempe ex essentia, & relatione; ergo, cum essentia diuina

Secunda ratio.

fit veluti subiectum relationis, & ab ea determinatur, potius se habebit vt materia. Tercio, illud se habet vt materia in generatione, quod recipit formam geniti, sed essentia diuina recipit relationem, quæ est forma geniti: ergo se habet vt materia. Sunt tamen conditiones materiæ (inquit Durand.) quæ essentie diuine non conueniunt, esse nimirum puram potentiam, reduci in actum per formam absolutam, posse amittere vnam formam, et aliam acquirat. Existimat enim ille, in cælis non esse materiam, sed cælos esse corpora simplicissima; quia cum in illis non sit, quod possit vnam formam amittere, & aliam recipere, putat, in eis non esse materiam.

Ceterum multo verior est sententia communis Scholasticorum, quæ affirmat, particulam, *de*, non denotare principium quasi materiale, neque essentiam diuinam habere rationem aliquam materiæ, ob quam dicitur Filius esse de substantia Patris. Ita docuit S. Tho. in hoc art. 1. conclus. 4. Scotus q. 2. Durandus ar. 1. q. 2. Gab. q. 2. a. 2. Greg. q. 2. a. 1. Marfilus in 1. q. 3. a. 1. ad octauam rationem. Probat Caiet. ratione de lapsu ex Scoto: nã commune est tam forme, quæ materia, esse, id, de quo aliquid esse, aut fieri dicitur, si forma generationis præcedat: idcirco in resurrectione homo dicitur fieri de anima, idque factum est: non dicitur fieri de nihilo: ex eo ergo, quod dicitur de Filius esse aut generari de essentia Patris, non cessario donatur principium materiale. Deinde probat Scotus, quia terminus formalis generationis Filij est essentia Patris: ergo Filius non dicitur esse & generari de essentia Patris, tanquam de materia: esse autem essentiam terminum formalem capit. 3. probandum est. Ex his facile soluitur primum argumentum Durandi; secundum autem, & tertium cap. 3. diluuntur.

CAPVT II.

Particula, *De*, in prædicta locutione significat principium consubstantiale.

AUGUSTINUS lib. de nat. boni, contra Manicheum, cap. 20. notat particulam, *ex*, & *de*, significare rationem principij, sed diuerso modo: nã de significat principium consubstantiale, eiusdem nature, at ex de notat principium qualecunque: quocirca omnes creaturæ dicuntur esse ex Deo, sed non de Deo. Doctrinam hanc ex Aug. delinquerunt Scholastici Theologi locis allegatis. Ceterum Driedo lib. 3. de regulis & dogmatibus Scripturæ s. prope finem, vbi hanc doctrinam, hanc regulam Aug. non probat: colligit enim oppositum ex Scriptura, nam Marth. 1. dicitur, Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto, & in simbolo Christus dicitur natus de Spiritu sancto: intelligitur autem vtrique Christus secundum humanam naturam: quare & creaturæ de Deo dici poterunt, sicut ex Deo. Nulli hominum quamuis id, quod Driedo asserit de particulis, negari non possit; tamen propter vocem illam, *rationis*, eo modo loquendi, Filius est de substantia Patris, eo modo loquendi, Filius est de substantia Patris, denotatur quædam consubstantialis cum principio, & Patre filius, vt paulo post explicabitur.

Scholastici varie exponunt prædictam propositionem, etiam si concedatur ea denotare generationem vnius ab alio. Sanctus Thomas in solutionem secundi sic interpretatur, vt particula, *de*, significet principium quasi formale, quia Filius habet substantiam Patris, quæ est quasi principium

male Filij. Contra hoc tamen obicit Bonavent.
eadem quoque ratione dici posse, Patrem esse de
substantia Filij, quia in utroque eadem essentia est
quasi principium formale utriusque.

Magister vero in 1. in ea dist. 5. sic explicat, Filius est
de substantia Patris, id est de Patre, qui est essentia.
Verum eadem ratione dicere possemus, inquit
S. Thomas creaturas esse de essentia Dei, quia
sunt de Deo, qui est essentia.

Mihi placet interpretatio Bonavent. Scoti, Gabr.
& Marfilij locis citatis, a qua non abhorret S. Tho.
vt particula, de, denotet formale principium, vel
consubstantialitatem, quod idem est, si referatur ad es-
sentiam; si vero referatur ad nomen Patris, deno-
tet simul principium originis; vt ita utraque voce
significetur principium eiusdem nature: id quod
S. Thom. non negauit; & ob eam rationem dicere
non possumus, Pater est de substantia Filij, etiam
si dicamus, Pater est eiusdem substantie cum Filio.
Ex quo etiam colligere licet, particulam, de, rela-
tam ad substantiam, non solum denotare aliquid,
quod sit commune utrique, siue illud sit materia-
le, siue formale, vt falso aliqui recentiores arbi-
trantur; sed formale tantum principium; tum
quia nomen substantia, & natura, hoc significat
tum etiam, quia nullum genitum dicitur esse de
substantia genitoris ob solam materiam, quam ab
illo accipit, sed præsertim ob formam, quam ge-
nitor genito infundit. Hac igitur ratione dici non
potest, Creatura sunt de substantia Patris æterni, sic
enim significaremus, creaturas esse genitas ab
æterno Patre ipsi consubstantiales, etiam si dicere
possimus iuxta regulam Driedonij, creaturas esse
de Deo.

Addit Sanctus Doctor in solutione 3. tres per-
sonas dici non posse de natura diuina, quia parti-
cula de, indicat originem, quæ tribus personis non
conuenit. At hoc difficile videtur Canar. nam si
dicimus, Michael est de natura Angelica, cur non
diceretur Pater de natura diuina, & tres persone si-
militer suppositum enim dici solet de tali, aut tali
natura, cuius est suppositum. Et sane, si verum est,
quod diximus particulam, de, relatam solam ad na-
turam absolute, non significare originem, sed ex
eo solum, quod additur Patris, aut alterius perso-
næ quasi producentis: nihil videtur ob stare, quo-
minus dicatur Pater de substantia diuina, & om-
nes persone similiter, cum eo modo loquendi
sola consubstantialitas significetur, & principium
quasi formale.

CAPVT III.

Formalis terminus processionis est essentia diuina, totus
vero terminus est persona.

AN vero terminus formalis generationis Fi-
lij, & processionis Spiritus sancti, qui deno-
tari videtur particula de, sit essentia diuina, vel pro-
prietas, inter Scholasticos, quoque cõtrouersum est.
Aureolus, vt refert Capr. in 1. d. 5. q. 1. art. 2. in argumen-
tatione, contra primam conclusionem, docet essentiam non esse
terminum formalem productionis. Probat pri-
mum, quia terminus formalis alicuius productionis
habere esse per illam: sed essentia diuina non
habere esse per productionem alicuius persone: ergo
non est terminus formalis talis productionis.
Maiorem probat, quia si totus terminus produ-

ctus accipit esse per productionem, multo magis
terminus formalis illius, per quem res accipit ef-
fe. Vnde colligit, animam in resurrectione non
esse terminum formalem, nec albedinem in deal-
batione, si separata prius, postea coniungeretur
parieti: sed terminum formalem alicuius produ-
ctionis putat esse eum, qui accipit esse secundum
totum per illam: cumque huiusmodi videatur
esse relatio, seu proprietates in persona producta,
hanc dicit esse terminum formalem. Cum Aureolo
concordat Durand. loco citato in 1. cap. dicens, es-
sentiam esse veluti materiam, rationem veluti for-
mam in persona producta, vt eo capite retulimus,
& ideo formalem terminum esse relationem; es-
sentiam vero veluti materiam: probat autem ra-
tionibus ibidem allatis. Consentit etiam Gabriel in
1. d. 5. q. 3. artic. 1. nota 4. & art. 2. in eo, quod ait,
essentiam non esse terminum formalem eadem
ratione; addit tamen in productione persone di-
uine nullum esse terminum formalem, sed termi-
num, quem ipse appellat totalem. Ideo namque
non asserit, relationem esse terminum formalem,
quia censet non distinguari ab ipsa et origine.

Gregorius vero in eadem dist. q. 1. art. 2. licet hanc
sententiam Aureoli optimis rationibus refellit,
ipse nihilominus docet, terminum formalem ge-
nerationis non esse essentiam. Probat hac ratione,
quia formalis & totalis terminus productionis in
his tantum rebus inuenitur, quæ constituntur ex
pluribus realitatibus: diuina autem personæ non
ita constituitur; ergo in earum productione non
est terminus totalis & formalis, cum non sit vnum
vt forma, & alterum vt materia.

Verum sententia communis amplectenda est,
quæ affirmat, terminum integrum productionis,
quem vocant totalem, esse personam, formalem
vero esse essentiam. Sic tradiderunt Scotus in 1. dist. 5. Scotus.
q. 2. §. Contra istam opinionem. & Capreol. q. 1. art. 1. con-
clus. 1. Caiet. in hunc art. & recentiores communiter.
Colligitur ex sancto Thom. eadem dist. q. 1. art. 1. Est
autem sententia hæc primum confirmanda con-
futatione aliorum, deinde rationibus Caietani.
Primum sane, quod dixerunt Aureolus & Gabriel,
terminum formalem non posse esse priorē genera-
tione, recte impugnatur Gregorius, quia in resurre-
ctione, inquit ille, terminus formalis est anima,
qua formaliter constituitur terminus productus,
scilicet homo, aut dicendum est productionem il-
lam carere termino formali. Quinimo, si hoc ve-
rum esset in generatione, cum primum incipit
anima rationalis, non esset terminus formalis
generationis hominis, quod videtur magis ab-
surdum: quia etiam tunc anima non habet esse
per generationem, sed per creationem, quæ sal-
tem natura præcedit generationem enim solum
coniungitur anima materia.

Deinde de ratione termini formalis produ-
ctionis nihil aliud esse videtur, quæ esse formam
rei productæ, per quam res ipsa velati per for-
mam, in generatione, aut productione accipit
esse, vt in fine capituli fusiùs explicabitur. Nam sic
ut omne agens operatur per formam suam, sic
etiam per formam rei productæ communicat, &
tribuit illi esse, quod est eam producere: atqui hoc
fieri potest, etiam si formalis terminus præcedat
generationem & productionem, nec fiat per il-
lam, vt patet, ergo non repugnat ex hac parte, es-
sentiam diuinam esse terminum productionis
persone.

personæ; aliunde vero minime repugnat, ut constet: ergo erit terminus formalis.

Adde contra Gregor. quod, cum loquimur de termino formali productionis personæ, non intelligimus terminum ex natura rei distinctum à persona producta, sed tantum nostro modo intelligendi: ergo quamvis non detur terminus formalis ex natura rei in persona producta, quia illa non constituitur ex natura rei realitatibus diversis; tamen, cum possit dici constituta per rationem nostram, ut contra eundem Greg. ostendimus disp. 13. c. 2. quid obstat, quo minus dicere possimus, aliquid esse terminum formalem productionis personæ nostro modo cognoscendi? Sic enim præfens quæstio intelligitur. Sed mirum non est, Gregor. ita de termino formali docuisse, quando, ut vidimus cap. 1. illius disp. omnem constitutionem personæ negat.

Calet. vero hanc sententiam multis rationibus probat, ex quibus hæc sola sufficiat nobis. In productione vnius personæ creatæ terminus formalis est natura, non personalitas: nam 2. Physic. text. 14. dicitur, generationem esse viam ad naturam, id est, ad formam: ergo forma est terminus formalis, non personalitas: quamvis enim forma hominis tunc producat, quando generatur persona humana: natura autem diuina non generetur, cum producat personam; tamen forma hominis non producat ipsa generatione, ut supra dicebamus, sed creatur à Deo. Tunc etiam de ratione termini formalis, ut probatum manet, non est produci per eam actionem, citius dicitur esse terminus formalis, sed per eam communicari: ergo, si anima rationalis est terminus productionis personæ humanæ, natura diuina erit terminus formalis productionis personæ diuinæ.

Sed dices, terminus formalis productionis personæ humanæ non est natura, hoc est forma seu anima, sed humanitas, quæ constat anima & corpore, & est quo res producat, non quod producat: totum autem suppositum est terminus totalis generationis, quia est quod generatur: actiones enim & passionis sunt suppositorum, teste Arist. 1. Metaph. c. 1. Verum contra hoc est manifesta ratio, quia tota natura ex anima & corpore non est terminus formalis, qui dicitur terminus quo, generationis, sed totalis, & quid dicitur terminus qui: namque in assumptione humanitatis fuit vere generatio prior naturæ, quam assumptio: illa autem terminata fuit non ad suppositum, sed ad naturam. Quod autem adducitur de illa propositione. *Actiones & passionis sunt suppositorum*, non recte est intellectum. Nam Aristot. non dixit suppositorum, sed circa singulare: quod si sequamur satis vulgarem interpretationem eorum, qui putant Arist. loqui de principio actionum, & de subiecto circa quod versantur: dicendum est distinxisse non naturam à supposito, sed solum singularem ab vniuersalibus: quia nec actiones sunt ab vniuersalibus, nec versari possunt circa vniuersalia: assert enim exemplum curationis, quia medicus non curat hominem in vniuersum, sed hunc hominem.

Verum respondent aliqui, Aristot. non distinxisse singularem naturam à supposito, quia talem distinctionem non nouerat, cum nondum vidisset naturam à proprio supposito separatam. Ergo quidem fateor, non nouisse hanc distinctionem suppositi à natura, nihilominus, si eam cognouisset, solum de singularibus loquutus fuisset, ut ab vniuersalibus distinguuntur: non de naturis, ut à supposito differunt. Nam recte nouisset, curationem non tantum versari tanquam circa subiectum quod, circa suppositum; sed etiam circa naturam: humanitas enim Christi, ut erat natura quædam singularis, esse poterat subiectum quod curationis: eodem ergo modo tribuisset illi Aristot. esse terminum integrum ut quod, & principium operandi: siquidem de actionibus, & passionibus eodem modo loquutus videtur, sicut de curatione, & cui curationem tribuit, cõcedit etiam actionem. Ceterum cum Aristoteles non dixerit actiones & passionis esse singularem; sed esse circa singulare: non debet intelligi de principio actionis: sed de subiecto & materia tantum circa quam, quæ debet esse singularis: hæc autem tam potest esse circa naturam singularem, quam circa suppositum. Sed de hac re fusius 3. par. quæst. 2. art. 11.

Alij dicunt, terminum formalem resurrectionis, & generationis esse vnionem, fallitur tamen nam vnio, si sumatur pro relatione vnionis, seu vniti, quæ fundamentum habet in vnitate re ipsi compositi, esse nequit terminus formalis: est enim posterior generatione: si vero sumatur pro aliquo modo in materia & forma producta, similiter non potest esse: ille enim non est forma rei productæ, ergo non est formalis ratio termini, quatenus terminus est: terminus enim generationis, aut reuersionis hominis, est homo sub ratione hominis, ergo terminus formalis est ille, quo hic & generatione constituitur formaliter homo, huiusmodi est anima; quia ratione dixit Aristot. generationem terminari ad naturam, per naturam autem non materiam, sed formam rei intelligi, vltima explicauimus. Præterea probari potest ratione Scoti, quia ex opposita sententia sequeretur productionem diuinæ personæ esse (ut dicant) æquiuocam, nam vniocatio generationis cum generatione sumitur ex termino formali illius.

Ad rationes vero Durandi, quæ ex cap. 1. superius sunt, responderetur. Quamvis relatio determinetur naturam diuinam ad esse personæ, & quod modo in illa recipiatur veluti modus in re, cuius est indus, & ita quodammodo assimilatur formæ, & sentia vero diuina materiz, nihilominus terminus formalis generationis est natura, non relatio, quia natura est forma personæ genitæ, non relatio, de ratione autem termini generationis est esse formam rei genitæ, atque ita dissolui possunt duæ rationes Durandi, quæ supererant.

Ceterum obiciunt nonnulli in hunc modum. Terminus formalis generationis debet esse modus ille, quo integer terminus terminatur actionem, quatenus productus est, sed non potest esse ratio termini actionis ut producti, nisi id, quod est productum est: ergo forma producat generatorem non potest esse terminus formalis. Respon. 1. deo, rem quæ est terminus totalis actionis, non terminare ipsam actionem, sub ratione autem reuersione expressa producti: sed secundum rationem absolutam talis entis, sicut generatio terminatur ab homine, sub ratione hominis sub ratione, & de homine aut alia res; non autem sub ratione, & de homine tione producti, ergo illud, quod est forma hominis erit terminus formalis huius actionis, quia generatio media illa forma, non tanquam re producta, sed tanquam producente, nec tanquam re producta, sed tanquam

Tertia probatur refutatione secundæ sententiæ.

Quarta ratione Caietani.

10.

Obiectio.

Responsio.

Aristot.

11.

quam natura producti, dat illi esse talis rei, communicando illi eam formam: tamen si relatio producti fundetur in illa unione, quam hi dicunt, esse terminum formalem.

ARTICVLVS IV.

Utrum in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium.

AD quantum sic proceditur. Videtur, quod in diuinis non sit potentia respectu actuum notionalium. Omnis enim potentia est vel actiua, vel passiu. Sed neutra hic competere potest. Potentia enim passiu in Deo non est, ut supra ostensum est. Potentia vero actiua non competit uni personae respectu alterius: cum personae diuinae non sint factae, ut ostensum est. Ergo in diuinis non est potentia ad actus notionales.

2. Praeterea. Potentia dicitur ad possibile. Sed diuinae personae non sunt de numero possibile, sed de numero necessarium: ergo respectu actuum notionalium, quibus diuinae personae procedunt, non debet poni potentia in diuinis.

3. Praeterea. Filius procedit ut verbum, quod est conceptio intellectus; Spiritus autem sanctus procedit ut amor, qui pertinet ad voluntatem. Sed potentia in Deo dicitur per comparisonem ad effectus: non autem per comparisonem ad intelligere & velle, ut supra habitum est. Ergo in diuinis non debet dici potentia per comparisonem ad actus notionales.

Sed contra est quod dicitur Augustinus, contra Maxi. haeticum, si Deus Pater non potuit generare Filium sibi aequalem, ubi est omnipotentia Dei Patris? Est ergo in diuinis potentia respectu actuum notionalium.

Respondetur dicendum, quod sicut ponuntur actus notionales in diuinis, ita necesse est ibi ponere potentiam respectu huiusmodi actuum, cum potentia nihil aliud significet quam principium alicuius actus. Vnde cum Patrem intelligamus ut principium generationis, & Patrem & Filium ut principium spirationis, necesse est quod Patri attribuamus potentiam generandi, & Patri & Filio potentiam spirandi. Quia potentia generandi significat id quo generas generat: omnis autem generans generat aliquo. Vnde in omni generante oportet ponere potentiam generandi, & in spirante potentiam spirandi.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut secundum actus notionales non procedit aliqua persona ut facta, ita neque potentia ad actus notionales dicitur in di-

uinis per respectum ad aliquam personam factam, sed solum per respectum ad procedentem personam.

Ad secundum dicendum, quod possibile secundum quod necessario opponitur, sequitur potentiam passiuam, quae non est in diuinis. Vnde neque in diuinis est aliquid possibile per modum istum, sed solum secundum quod possibile continetur sub necessario. Sic autem dic. potest, quod sicut Deum esse est possibile, sic Filium generari est possibile.

Ad tertium dicendum, quod potentia significat principium. Principium autem distinctionem importat ab eo cuius est principium. Consideratur autem duplex distinctio in his quae dicuntur de Deo. Vna secundum rem, alia secundum rationem tantum. Secundum rem quidem Deus distinguitur per essentiam a rebus, quarum est per creationem principium: sicut una persona distinguitur ab alia cuius est principium, secundum actum notionalem. Sed actio ab agente non distinguitur in Deo, nisi secundum rationem tantum, alioquin actio esset accidens in Deo. Et ideo respectu aliarum actionum, secundum quas aliqua res procedunt distincta a Deo, vel essentialiter, vel personaliter, potest Deo attribui potentia secundum propriam rationem principij. Et ideo sicut potentiam ponimus creandi in Deo, ita possumus ponere potentiam generandi, vel respirandi. Sed intelligere & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicuius rei a Deo distinctae vel essentialiter, vel personaliter. Vnde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentiae in Deo, nisi secundum modum intelligendi & significandi tantum: prout diuersimode significatur in Deo intellectus & intelligere, cum tamen ipsum intelligere Dei sit eius essentia non habens principium.

CONCLVSIO est affirmans. In articulo vero nihil peculiare notandum occurrit praeterea, quae in disputatione examinanda sunt.

DISPUT. CLXIII.

An in Deo sit vera ratio potentiae productantis intra ipsum.

Duae opiniones Aureoli, Gregorij, & aliorum, cap. 1. In Deo esse veram realem potentiam producentem, non tantum respectu personae productae, sed etiam respectu actus notionalis, probabitur est, cap. 2. Respondetur argumentis Aureoli, & aliorum, cap. 3.

CAPVT I.

Duae opiniones Aureoli & Gregorij, & aliorum.

IN difficultate proposita prima sententia fuit Aureoli, in 1. d. 7. q. 1. a. 2. ut refertur a Capr loco citato in Prima opinio, praedisp. c. vii. neque in Deo vere non esse potentiam producentem.